

mus papa Gregorius, sed alter aliquis vel eius discipulus sub antiquis degens temporibus antiphonas supradictas composuerit, non tamen ideirco vel ipsam vetustissimam passionis ex qua excerptae sunt historiam^a seu easdem antiphonas per semet minus idoneas censemus, quia, quolibet auctore fuerint prolatae, per hoc quidem, quod ubique in sancta ecclesia absque ulla falsitatis suspitione et reprehensione actenus legendo cantandoque constant frequentatae, amodo quoque retinendae sunt pro maxima auctoritate. Quis ergo talis perfidiae tantaeque temeritatis extat, ut, ubi scriptura sacra taliter concordat, ibi nos errasse arguat, nisi forte aliquae retractiones et controversiae scripturarum sanctarum robustiores habeantur apud alios, quae lateant nos. Sed de hiis, ut arbitror, sufficienter dictum.

17. Proinde et hoc dicendum puto, quia venerabilis Beda, de quo erroris huius auctoritas maxime suborta videtur, licet in aliis dictis suis doctor satis cautus existat, in explanatione tamen actuum apostolorum de hoc Dyonisio Ariopagita, qui per apostoli Pauli predicationem credidisse scribitur, incaute disputat asserens eundem Dyonisium Corinthiorum esse episcopum¹. Cui scilicet assertioni non solum Eusebius in ecclesiastica historia² et sanctus Ieronimus in libro illustrium virorum³, sed etiam ipse Beda in sua cronica⁴ contradicit, cum eos secutus Dyonisium Corinthiensem episcopum Marco Antonino contemporalem esse describit. Eadem quoque assertio quam facile advertatur mendosa fore, supra diximus. Proferendum est et illud, quod in martyrologio quodam invenitur scriptum, Ariopagitam scilicet Dyonisium sub Adriano cesare fuisse passum⁵, ubi necesse est fateri, aut falsum esse, quod sanctus Gregorius Deo hominibusque notissimus et antiquioribus scripturis consentiens scribit, seu quod ille scriptor ignotus sacraeque scripturae contrarius dicit. Ceterum nos in tam scrupulosa et diversa re viam regiam incedere cupientes, certiori tam in hac quam in omnibus controversiis auctori credendum esse non ambigimus. Alioquin si hoc ita foret, ut iuxta illum scriptorem ignotum Dyonisius Ariopagita, qui erat inter ceteros huius nominis primus, sub Adriano cesare martirizaretur, nullus profecto Dyonisiorum a beato Clemente papa in Galliam mitteretur, utpote qui longe ante omnes, excepto

a) hyst. c.

1) Bedae Expos. Act. apost. c. 17, Migne Patrol. Lat. XCII, col. 981. Doch nahm der Verf. vielleicht auch diese Stelle aus Hilduins Brief an Ludwig den Fr. c. 8, Migne l. c. col. 17. 2) L. c. oben p. 353. 3) C. 27, Migne Patrol. Lat. XXIII, col. 645. 4) Die Stelle habe ich nicht gefunden. 5) Cf. Epist. Hilduini c. 8. l. c. col. 19.